

cursu\* tradidit, fatetur animum ad studia scientiarum naturalium totum conversum a litterarum et imprimis linguarum studiis semper declinavisse, ita etiam ut primi magistri adolescentis ingenium minimi facerent deque ipso in futurum humillime praesagirent pseudoprophetæ. Non mirum igitur si in epistolis nec otiose nec accurate nec provise expeditis mendæ non deficiunt. Quas tamen nusquam emendavimus, exemplum Halleri † atque Endlicheri ‡ secuti, ipsamet autographorum verba fidelissime transribentes. Sermo enim Linnæi, si non grammaticè castigatus, libero gradu currit vividus, nervosus, primigenius, denique suus, adoptione totius elapsi sœculi legitimus nec ideo ullo modo adulterandus.

Anno 1735 Linnæus, tum vigesimo-octavum degens, relictâ patriâ, Hollandiam petierat, ubi tres annos Amstelodami, Lugduni Batavorum, et præsertim Hartecampi in Horto Cliffortiano vixit, et opera præcipua, ut *Systema Naturæ*, *Genera Plantarum* et *Classes*, etc., etc. scripsit et edidit, et unde primum Angliam (anno 1736) invisit et denique in Galliam (a. 1738) transiit.

Parisiis sceptrum Botanices tunc tenebant, Tournesortio jamdudum et Vaillantio defunctis, ipsorum in Horto Regio Botanico Parisiensi successores Antonius et Bernardus de Jussieu, fratres arctissime sanguinis, studiorum et vitæ communitate devincti, posterior fratre tredecim annos junior, quinque senior Linnaeo. Cum quibus jam mutuâ nonnullarum litterarum missione commercium iniverat et ad quos se contulit commendatus professoris Adriani van Royen, quocum aliquot menses commoratus hortum Leydensem ordinaverat, epistolâ quam nobis in diario servavit sequenti :

*“ Viro clarissimo Antonio de Jussieu, medico experientissimo, Botanices professori celeberrimo, et Academia Regia Scientiarum in Galliis socio, et membro dignissimo S. P. D. A. van Royen.*

*“ En Carolum Linnæum scientiæ botanicae (si quem noverim) facile principem, qui in scriptis innotuerit, experimentis innotescat. Hic in plerisque historiæ naturalis partibus versatissimus, hasce tibi tradet literas. Hunc vere doctum, eruditum, et humanissimum tibi tuæque curæ commendo, ut per te, quantum potest fieri, opportunitatem habeat omnia quæ ad hoc negotium spectant perlustrandi : Quidquid autem ei feceris beneficii, mihi, cum per aliquod tempus intimus fuit, factum reputabo. Vale fratremque cum Nob. D. de Fay meo nomine salvere jube. Dabam Leyda die 7. Maii 1738.”*

\* *Egenhändiga Antekningar af Carl Linnæus om sig sjelf.* Stockholm. 1823. — Quod diarium jam prius ex manuscripto Suecico in Anglicum verterat edideratque W. G. Maton : *The Second Edition of a General View of the Writings of Linnaeus, by R. Pulteney, with Corrections, considerable Additions, and Memoirs of the Author, to which is annexed the Diary of Linnaeus, written by himself, and now translated into English from the Swedish Manuscript in the Possession of the Editor.* London. 1805.

† *Epistolarum ab Eruditis Viris ad Alb. Hallerum Scriptarum Partes 6.* Bernæ. 1773 – 75.

‡ *Caroli Linnæi Epistolæ ad Nic. Jos. Jacquin.* *Præfatus est Notasque adjecit Stephanus Endlicher.* Vindobonæ. 1841.